B. N. C.
FIRENZE
1033
31

1033.31

SANTI
CARCANI

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1033
31

XXVII
CARLAN

1033.31

OCTAVA ORATIO

AD

SIXTVM V.

PONT. OPT. MAX.

F. VICTORII GARCANI VENET.
Aug. Sacræ Theol. Profeſſoris.

DE VERISSIMIS, AC IVSTISSIMIS LAVDIB.
ILLVSTRISS. ET REVEREND. DOMINI GREGORII PETROCHINI.

S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIS CREATI.

Ex qua cuilibet perfacile intelligere licet omnes in omni genere præclaras virtutes, & verè Chriſtiano digniſſimas huic admirabili viro ad obtinendam hanc Cardinalatus dignitatem viam omni ex parte muniuiſſe, aditumque pateſeciſſe.

Index aliarum orationum, quæ Venetijs ſunt impreſſæ, hanc voluenti chartam ſtatim ſe offert.



FLORENTIÆ, Apud Franciſcum Toſium. 1591.
Cum Licentia Superiorum.

1033
31
1872

1. De Diuæ Catherinæ laudibus. Venetijs habita.

2. In Reuerendiſsi P. M. Thaddæi Peruſini Gen. totius Aug. Ord. ad Vrbem venetam aduentum. Venetijs habita.

3. In Comitijs Generalibus. Bononię habita.

4. De Incarnatione D. N. Ieſu Chriſti vernaculo ſermone contexta. Arimini habita.

5. Ad Siſtum V. Pont. Opt. Max. in eius Creatione. Romæ habita.

6. Ad Siſtum.

7. Ad GREG. XIIII.

F. Victorius Carcanus Venetus Auguſtinianus Sacræ Theologiæ Profeſſor. S. D.

C*VM Panegiricos iſtos (Ampliſsime Vir) qui Sãctiſsimi Domini noſtri GREGORII Decimiquarti P.O.M. ſimul & Illuſtriſsimi, ac Reueren. D. GREGORII Petrochini S. R. E. Card. immortales, ac diuinas laudes à me ſi minus penitus expreſſas, at certe, tanquam tenui penicillo, leuiter adũbratas, ſimul cum meo de ſingularibus eorũ virtutibus iuditio & ijs,*

qui

qui nunc ſunt, & futuris etiam gentibus patefacient, nunc in manus hominum emittere ſtatuerim, tibi potiſsimum vel ob eam cauſam dicatos eſſe volui, quod, cum, quæ mei pariunt labores in ea DIVINA ARTE, *quæ vocatur* ELOQVENTIA, *quæque homines paullatim ab homine ſeparat, eorum nomini inſcripta eſſe percupiam, qui rerum cognitione, doctrinaque delectantur, qui ſunt natura integri, atque moderati, moribus religioſi, ac pij, ob rectè facta perpetua, ac præclara fama digni, qui denique ijs omnibus virtutibus, quæ in admirabilem virum cadere poſſunt, omnino floreant, ex multis tui ſimilibus, hoc eſt, claris, & honoratis, & admirandis hominibus, quorum altiſsimi animi ad immortalem gloriam nituntur, aut magis idoneum, aut magis aptum, cui hæc, quæ de* CHRISTI *Vicario loquuntur, eſſent offerenda, quàm tu es, profectò reperire potui neminem. Namque, ſiue literarum ſcientia quæritur, ex multorum ſermone audio, te æternis illis, quibus excul-*

ta

ta mens lætos, & mirificos in omni fortuna ferre fructus ſolent, animi, ingeniique opibus abundare, ſiue vitæ innocentia, intelligo ea te ſtudia ſemper amplexum eſſe, ex quibus conſtanter, honeſtèque viuendi præcepta ducuntur nihil, niſi quod honeſtum, decorumque ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere, cupiditatibus iis, quibus cæteri ſeruiũt, imperare: ſiue morũ integritas, quã contẽnas, quàm deſpicias, quã pro nihilo putes ea, quæ multi admirantur, neminẽ præterit: ſiue æterna gloriæ cupiditas, certo ſcio animum tuum ſe erigẽtem, immortalitatem ita proſpicere, vt ea ſemper coneris, quæ ad poſteritatem pertineant: ſiue cæteræ virtutes, quarum es præſidio munitus, comitatuque circunſeptus, omnes, qui te norunt, affirmant eum te eſſe, cuius in anima reſidet amor diuinus, in animo fidele conſilium, in memoria clara experientia, in voluntate recta intentio, in oculis ſuauis benignitas, in auribus æquabilis facilitas, in vultu ſumma hilaritas, in pectore excellens magnanimitas, in corde perpetua

con-

conſtantia, in ore pura ſinceritas, in lingua ſimplex veritas, in manibus eximia liberalitas, in omni cogitatione diuina prudentia, in omni verbo mira æquitas, in omni actione ſingnlaris integritas, in omni ſenſu incredibilis frugalitas. Verum de tuis laudibus nolo multus eſſe, cum ipſæ, tanquam pleno Theatro ſpectatæ, nullius laudationem deſiderent. Perbenignè igitur accipe hoc, quale cunque eſt, vigiliarum mearum munuſculum: ſic enim fiet, ut, dum lucubrationibus meis tuæ benignitatis aura, quaſi propitium numen aderit, neque in difficultate, neque in ſcopulo mea hæreat induſtria. Vale.

Dat. Florentiæ, Ex noſtro Monaſterio S. Spiritus, Die prima Auguſti. 1591.

OCTAVA ORATIO AD SISTVM V. PONT. OPT. MAX.

F. VICTORII CARCANI VENET. Aug. Sacræ Theol. Profeſſoris.

QVOD erat optandum maxime (B. P.) & quod vnum ad recreãdos catholicorum omnium afflictos animos, ad augendam, & ornãdam Remp. Chriſtianam, ad eandem excitandam vt afflictam, ad erigendam vt iacentem, ad tranquillãdam vt turbatam, ad tutandam vt vexatam, ad fouendam vt oppreſſam, maxime pertinebat, id bonorum omnium precibus, immo ſanctiſſima tua auctoritate, immo ſummi Dei ope, & auxilio datum, atque oblatum nobis videtur: vt minimè mirum debeat tibi videri, ſi, cum iam non mediocriter nobis gaudendum arbitremur, lætitiam ex hac re ſuſceptam exprimere vix poſſumus, vel planè, ſi nullo modo poſſumus: Nanque vbi primum accidit, Prooemiũ.

vt ad eam ſubleuandam (magnæ enim ipſa tibi curæ ſit nec ne,ambigere non licet,res ipſa declarat,ſi quidem cognoſcimus te,quod diuinę cuiuſdam virtutis videtur eſſe, ideſt tuæ, in cuſtodia ſalutis ouium tibi commiſſarum ſæpè alias diligentem,ſed proximè vel imprimis,cũ ad eum gradum,qui eſt in terris ſummus,& auguſtiſsimus, Deo, hominibusque volentibus, aſcendiſti; vnde humana omnia deſpicis,ſupra caſus omnes, ſupra fortunam ipſam collocatus) vbi ergo primum accidit, vt ad parandum ei firmiſſimum ſubſidium ſplendorem illum noſtrorum temporum,qui ſuę ipſe familiæ clarum lumen eſt, cuius virtus nunquam reticentia poſterorum inſepulta eſſe poterit,cui non petenti ea ſemper delata fuerunt,quæ multis auidè, & ambitioſè petentibus denegata ſunt, quem in illuſtri quadam ſpecula gloria conſtituit, à quo ad ſalutem noſtram plurima,eademque ſalubria ſemper fluxerunt conſilia, GREGORIVM, inquã, ELPARENSEM tuum, tuarum laudum laudatiſſimum præconem, inter celebres celeberrimum, inter claros clariſsimum,inter notos notiſsimum, inter homines virum,inter viros heroem, & heroem quidem diuinis quibuſdam bonis inſtructum ipſe adlegendum putaueris, qui, vt Columen Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, eam adminiſtraret, ita adminiſtraret, vt tueretur, ita tueretur, vt multis eam afficeret ornamentis, eos omnes, qui eius ingenij neruos bene cognitos habent, qui eius in maximis rebus gerendis virtutem, & fidem exploratam habent, qui eius præclaras cogitationes æterna cum gloria coniunctas cognoſcunt, non ſolum voluptate, ſed magna, ſed uera, ſed mira, ſed incredibili voluptate perfuſos eſſe, tum ipſi tibi,tum cęteris omnibus indicatum, maximeque perſpicuum eſſe percupimus. & quidem perfuſos,non tam ob ipſam rem, quæ tanè

nè eſt per honorifica, propterea quod præfectura CAR-
DINALIS & dignitas eſt, & ſumma, vel potius maxima
dignitas eſt, quàm quod de ipſo cogitantes intelligunt
eum eſſe, qui, cum ſapientiſsimorum virorum monumen
tis, atque præceptis, plurimoque doctrinæ ſtudio, tum ma-
gno etiam vſu tractandæ Reip. magnaque varietate admi-
niſtrandi viam, rationemque cognoſceret, eum, cui maio-
ra quoque munera debeantur, eum, cuius, animus earum
omnium virtutum lumine, quas bonum, & omni ex parte
abſolutum principem habere decet, colluſtratus eſſet,
eum, qui factus ad omnia maxime videretur, eum deni-
que, quo meliorem, & ad ea omnia, quæ in ſummũ ſunt
adducta diſcrimen accommodatiorem, diligentiorem, &
officioſiorem non dicam reperire, ſed ne optare quidem,
aut etiam cogitando informare vnquam poſſumus. Atque
hoc quidem duabus maxime de cauſis nobis omnibus iu-
cundum & eſt, & omnino eſſe debet; Primum, quod
multum putamus ad laudem noſtram intereſſe, cum hoc
iam percrebruerit, ea GREGORIO Auguſtinia-
no, quæ ſemper illuſtria iudicata ſunt, nunc tributa eſſe
à SIXTO QVINTO, hoc eſt, ab eo PONT.
qui eſt omnium, qui ſunt, & qui fuerunt, virtute, ſapien-
tia, ac gloria Princeps, ab eo, quem nationes exteræ,
quem gentes longinquæ, quem Principes, quem Reges,
quẽ Imperatores extimeſcunt. Deinde, quod ſi vnquam
magno periculo fluctuans Petri Nauis eorũ poteſtati per-
miſſa, & credita fuit, qui omnia, quæ à ſapiẽtiſsimo quoq;
gubernatore poſtulãtur, penitus præſtare ſciant, poſsint,
ac velint, ſciant iuditio, poſsint ſcientia, velint beneuolen
tia, hoc tempore, hoc, inquam, tempore, non tranquillo,
& optato, at miſero, at luctuoſo, at turbulenti, hac præſer-
tim proborum, atque eruditorum virorum, id eſt tui ſimi-

Petri Nauis eorũ poteſtati pmittẽda eſt, q oĩa, q̃ à ſapientiſſimo quoq; gubernatore poſtulãtur, penitus præſtare ſciãt, poſſint, ac velint.

lium caritate, & orbitate, permittenda, & credenda eſt: ita enim delapſam Chriſtianam Rem. video, ita miſeram, ita proſtratam, vt, niſi ab ijs rectoribus gubernata fuerit, quos intelligere, quos ſapere pluſquam cæteros credatur, difficilè eius aduerſarios ſimus exterminaturi: eiuſmodi autem GREGORIVM eſſe nemo omnium, qui viuunt, te ipſo melius intellexit: qui, quamuis ab omni Reip. cura, ut id, quod ſupereſt ætatis, poſthabita omni alia cogitatione, quam beatiſsimè tranſigeret, ſe ſe abduxerat, atque eo animo, quod ex ipſo auditum eſt, ut nunquam huiuſmodi prouinciam, nunquam huiuſmodi labores ſubiturum putaret, quamuis nullum honorem ſibi eſſe accipiendum ſtatuerit, quamuis ſibi perſuaſerit multo eſſe pręſtantius conſequi virtutem ipſam, quam ornamenta virtutis; patuit tamen, vt debuit, ſanctiſsimæ auctoritati tuæ, quam apud ſe & olim valuiſſe, & hodie valere oportere non ſolum intelligit, verum etiam ingenuè confitetur: quicquid tibi placebit ſibi faciendum putabit, nihil erit tãtum, quod non tua cauſſa facturus ſit cum ſtudiosè, tũ libenter, neq; ſibi vnquam à te imponetur aut laboris, aut oneris, quod non ipſe, vt par eſt, prompto, atq; alacri animo ſuſcipiat, quæq; ſibi à te imperata erunt, nunquam aut aſpernabitur, vt nimis humilia, aut, at nimis ardua, contemnet: Accedit etiam, quod, cũ beneuolentię tuæ, in qua ſic viuit, vt, quaſi aere ad reſpirandum, ſic eius memoria quotidiè vtatur, ſignificatione ſe alligatum uideat, ſibi valde ſentit eſſe laborandum, vt iſto tuo amore, quem tanti facit, vt ex omnibus rebus humanis nihil penè pluris æſtimare videatur, ſi minus alia re, at perpetuo certè, & ſingulari erga te ſtudio, aſſiduaq; diuiuarum tuarum uirtutum ſuis omnibus in ſermonibus, & ſcriptis non indignum ſe præſtet: nec ſibi in omni vita res tam erit ulla propoſita, quàm, ut quo-

Sibi perſuaſit multo eſſe pſtantius cõſequi virtutẽ ipſam, quam ornamenta virtutis.

tidiè vehementius de te ipſo optimè meritum eſſe lætere. Hinc fit, vt iudicium tuum, quod habet ponderis apud bonos, ac ſapientes viros in omni re plurimum, nō poſsit nobis non ſummè eſſe iucundum: Verè nanq; ſi iudicare voluerimus, vt certè velle debemus, ex nobiliſsimo corpore, ac Collegio noſtrę familię magis idoneū, quàm hic eſt, ad hoc munus obeundum profectò reperire poteras neminem. Et quoniam illud mihi propoſitum eſt, & eſſe debet, vt ueritatem, quam ego tueri acerrimè, habereq; ſemper antiquiſsimam & volui, & volo, quæq;, cum nulla ſit inuoluta difficultatibus, minimè latere poteſt, ipſa re, & ratione exquiram, ne, quod non ſatis exploratè cognitum ſit, ſine vlla dubitatione aſſerere videar, ſtatui, etſi ego vnus ex omnibus minimè ſum ad ipſum laudandum accommodatus, cum nullis ipſe ſim vel naturæ, vel doctrinę pręſidijs ad dicendum paratus, nihilq; poſſim dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere, atque edere, ſtatui tamen, quoquo modo licet, huius virtutes, quas ſibi ad obtinendam hanc paſtoris dignitatem uiam omni ex parte muniuiſſe, aditumq; patefeciſſe certum eſt, non dico omnibus artis coloribus egregijs illuſtrare, quod & infinitum eſſet, & nō neceſſarium, ſed eas tantum leuiter, & tanquam tenui penicillo adumbrare. Atque eò etiam magis in ſuſcepto conſilio confirmor, quòd vehementer opto, nomen vt ſuum, ſi fieri poteſt, aut certè quantum poteſt, ſcriptis illuſtretur, & celebretur meis, ex quibus meam in ipſum ſummam obſeruantiam, & tu ipſe, & futuræ quoque gentes intelligere poſsint. Quippe qui iam inde à primis annis, cum eſſet imberbis, penè potius puer, nondum ea prudentia, quæ extrinſecus aſſumitur, propter ætatem, copioſè inſtructus, & fælicitate quadam, & benignitate naturæ, & parentum

Veritas, cū nulla ſit inuoluta difficultatibus, minimè latere poteſt.

Narratio.

tum diſciplina, rectam ſalutis ingreſſus viam de illa perpetua, quę eſt omni fœlicitate circunfluens, non de hac, quæ temporum ſpatijs definitur, exigua vita miſerijs nunquam vacante, excogitans, nec ad voluptatem, cuius blanditijs uiſus eſt ſemper obſiſtere, quanq; non ſatis dignam hominis pręſtantia, eamq; contemni, & reijci oportere intelligebat, unquam propenſus, ſed remotus à ſtudijs ambitionis, ſegregatus ab oculis populi, ſeiunctus à cætu hominum, frequentiaq;, otium, & tranquillitatem mentis ſequutus, cum intelligeret naturam in ſe ipſam non ideirco benignam fuiſſe; ut ſuum beneficium negligeret, non ut ſe ſermonibus vulgi daret, non ut in præmijs humanis ſpem poneret rerum ſuarum, non ut primum illud tp̄s ętatis palam ad omnes libidines diuulgaret, ſed vt ad Decus, ad dignitatem, ad immortalem, eternāq; laudem conferret, quo primum die ad religionem ſe contulit, eodem die uelle nihil humile, nihil anguſtum, nihil obſcurum, nihil inane cogitare, velle animum ſuum pulcherrimis, ſeq; dignis cogitationibus exercere, velle ſummi Dei gloriam, ideſt ſuam ſalutem ſpectare, uelle rerum mutabilium cupiditatem excludere, velle legem ſibi imponere perpetuæ continentię, velle omnium laudandarū artium abſolutam, ac uerè ſalutarem ſcientiam conſequi, uelle uniuerſam de Deo, diuiniſq; reb. doctrinam, uelle denique Deum ipſum, à quo uno omnis noſtra fortitudo manat, omniſq; ſapientia, rebus caducis, quę fluxę nimis, infirmæq; ſunt, anteponere profeſſus eſt. Quid deinde, quid fecit, vbi primum illam ætatulam robur adoleſcentia excepit? non eorum ſibi veſtigia obſeruanda eſſe duxit, qui, dum in huius ſæculi errore verſantur, ambigua certis, noxia ſalutaribus, turbulenta tranquillis, inania ſolidis præferunt, neq; reliquum uitæ ſpatium ita poſtea tran-

A Deo oīs noſtra fortitudo manat omniſq; ſapientia.

tranſegit,ut cum à diuinis ſtudijs aut otium abſtraxerit, aut uoluptas auocarit,aut deniq; ſomnus retardarit: quin potius immortalē ſuū, & ſimplicem, & celeſtē animum, quē iā tranſtulerat ad ea, quorum & vſus,& delectatio eſt omnibus oblectationibus anteponēda, ad ea,quæ, ſedatis ſollicitudinibus,iucūda, & ſalutifera eſſe ſolent,ad ea,quibus ſecundæ res ornātur, aduerſę adiuuātur,ad ea, quibus maxime diuinā naturā homines accedūt, quæq; eoſdem, quantum licet,cum Deo coniūgunt, ipſā ſui cognitione paſcere ſtuduit,atq; ita ſtuduit,ut,paucis ānis ſuo quidem aliquid,aliorum autē iudicio multū profecerit:tātum.n.ardorē ſtudij, ſine quo in uita nihil quicquā egregiū nemo vnquā aſſequitur,conſtat in ipſo fuiſſe, tātum cognitionis amorē,& ſciē innatum, tātam diligētiam contemplandarum; perquirendarumq; mirabiliū, & cęleſtium rerum; tantā æternarū cupiditatē,ut nihil, niſi quod honeſtū, decorumq; eſſet,aut mirans,aut expetens, & ea,quæ eximia pleriſq;, & præclara vidētur, ratione ſtabili,firmaq; cōtennens,quæq; habēt ſpeciem gloriæ collecta inaniſſimis ſplēdoris inſignibus,minuta,breuia,fugacia,nō uirtutis, atquē ingenij,ſed tēporum munera exiſtimās, nomē ſuum non hominis, ſed bonitatis,ſed religionis,ſed integritatis, ſed omnis uirtutis nomen ab omnibus exiſtimatum fuerit.Itaque,dum ſe continere elaborauit in ſuis perhennibus ſtudijs,mentemque vere religioſo dignis uirtutibus exornare, doctores in ijs,ducesque nactus viros mira doctrina claros, atque excellentes,qui hunc nouo quodam,admirabilique genere diſciplinæ per directam ſemitam ad earum rerum notitiam perducere conabantur, ad quam vel cum ſummis laboribus,ac uigilijs peruenire cuiuis non licet, dum hoc tranquilliſsimo,ac iucundiſsimo ſcientiæ portu perfrui, dum magnum ſibi prędium ad beatam uitā comparare

Sine ardore ſtudij in uita nihil quicquam egregiū nemo vnquā aſſequitur.

parare, dū in eo ſtatu, quem neque caſus temeritas, neq; inimicorum labefactare poſſet iniuria, ipſe exiſtere adnitebatur, dum Domi, dum extra, dum priuatim, dum publicè; dū ſibi, dū alijs erat utilis, omnium bonorum animos ad ſe ita inuitare cœpit, ut nemo fuerit bonus, atque integer, nemo doctrina inſtructus, nemo ingenio excellens, nemo in optimarum artium ſtudijs verſatus, nemo liberaliter educatus, qui non cum ipſo uiuere concupiuerit, qui non eius domeſticam conſuetudinem optauerit, qui non illi amicus, non illi familiaris, nō illi intimus omnino eſſe uoluerit, nemo denique, quem nō mira quædam incenderet cupiditas eum videndi, & cognoſcēdi: Eius nanque fama multorum uocibus in multas partes diſsipata, minime pauci quotidiè, vel potius in dies ſingulos ad ipſum cōfluebant auxilij cōſilijq; cauſſa, atque eius grauiſsimis, ſapientiſsimisq́ue ſermonibus, tanquam diuinis quibuſdam legibus animum formātes, eundem ſibi, ueluti unicum exemplum in moribus ad imitandum proponebant: id autem ob eam, credo, cauſſam, quod virtutis normam meliorem reperire nullam poterant, quam cōtemplationem, & imitationem ſui: qui ex hac, quam degere decreuerat, remota à procellis inuidiarum, uita, & propter requietem, & propter ipſius ſciētiæ ſuauitatem, qua nihil eſt hominibus iucūdius, magnum videbatur percipere fructum: Atque cum omnes ipſum litteræ, omnisque libero homine digna cognitio vehemēter delectauit, tum vero paſcebatur incredili voluptate, & afficiebatur maiorem quendam in modum ſenſibus intimis, dum ad illam omniū ſciētiarum dominā, ac reginā, qua ſibi charior nulla vnquam res in vita fuit, hoc eſt, Theologiam tota animi cōtentione incumbebat, cuius in ſtudio non exiguam uitæ partem contriuit: omnino autem, quod hāc ſibi in amore, ac de-

Nihil eſt hominibus ſcientię ſuauitate iucūdius.

litijs

litijs fuiſſe, multóſque in eadem, & magnos, vereq; laudã dos proceſſus feciſſe dixi, eò dixi, quia ipſe ſe ex hac tempeſtate calamitatis humanæ, qua nullum Mare eſt difficilius, tanquam in amœniſsimum hortum recipiebat ſacrarũ litterarum, in quibus quaſi tabernaculum vitę ſuę collocauerat. At qui cum benemereri de literis ſemper præclarum in primis, atque egregium eſſe duxerit, induſtria ſua quamplurimos excitauit, vt iacentem litterarum laudem pro ſuis quiſque viribus ſubleuare contenderet: neque id ego ſolum affirmo, affirmauere alij, hodieque affirmant multi nõ ſanè leues, ac poſtremi ordinis viri, ſed quidem primarij, graues, prę ſtantes, qui ſe huius condiſcipulos in pueritia, familiares in adoleſcentia, collegas in dignitatibus commemorabant fuiſſe: Namque ab illis, quos cognoui huius virtutibus, me narrãte, etiam, atq; ẽt delectari, cum ſermo de ipſo multoties eſſet inſtitutus, ijdemque plurimis verbis vitam laudarẽt ſuam, dixiſſe eos recordor, cum cæteris ſuis laudibus hanc eſſe uel maximã, quod nõ ſolum quæ bonis artibus, ac moribus aduerſantur, prorſus reijceret, non ſolum beneficentiã ſine ſpe prę miorũ exerceret, non ſolum litteratos homines officijs coleret, præconijs exornaret, re, pro ſua tenuitate, ſuſtentaret, ſed etiã quod ipſemet monimentum maximum induſtriæ ſuæ relinquere ſtuderet, ſeque quamplurimos, qui in eo laborarunt, ut poſteritati conſulerẽt, cognouiſſe, ſed qui magis, quam GREGORIVS id cuperet, omneſq; liberales diſciplinas præmijs ornare ampliſſimis deſideraret, cognouiſſe neminem: Quo circa non ſine cauſſa, cum omnes nunc, quæ optabilia ſint, omnia habere cognouerint, futurum augurabantur, vt ad illa ſumma, vbi ſummum decus habitat, quæ vulgus ignorat, ipſe breui perueniret, ut per opportunam haberet occaſionem promendi ex animo ex-

Benemereri de literis ſẽper prę clarũ in primis, atque egregiũ eſſe duxit.

Beneficẽtiã ſine ſpe prę miorũ exercet, litteratos homines officijs colit, pcõnijs exornat, re ſuſtẽtat.

celſa illa, quæ à pueritia collegit, vt ſummam ſibi rerum omnium moderator Deus, à quo noſtrorum conſiliorum pendet euentus, iuuandi generis humani voluntatem tribueret: quod cum iam accidiſſe videant, merito, & optimo iure omnium laudum genere te ipſum (P. San.) cohoneſtandum exiſtimant. Qui, quoniam pro ea, qua mirabiliter excellis, eruditione, acerrimus es ingeniorum æſtimator, quoniam naturę quodam impulſu ad beneficentiam magnopere propendis, quoniam omnes tuos incredibili quadam complecti charitate conſueſcis, quoniã quamplurimos, ob eximiam naturæ tuę liberalitatem, atq; amplitudinem benignè facere & ſcles, & potes, quoniam hunc ipſum ab ineunte ætate non mediocriter dilexiſti, huius virtutem, ne humili, atque obſcuro loco lateret, honoris inſignibus honeſtandam, & illud ingenij ſui lumen in excelſo iſto, & illuſtri loco collocandum iudicaſti: in quo, cum apud vnum poſuiſſe beneficiũ videaris, à multis tamen gratiam iniuiſti: quibus caue putes gratius quicquam eſſe poſſe, quàm videre hunc vno die, atque vna planè hora mercedem cæpiſſe meritorum ſuorum: Non enim, cum hunc Cardinalem Creaſti, id ſolum ſpectare voluiſti, vt hoc ſigno voluntatis erga ipsũ tuæ minimè dubiam ſignificationem patefaceres, tametſi hoc ipſum quoque te mouit, ſicut mouere debuit, ſanè plurimum, ſed in hoc ipſo honeſtando, eius quędam propria ſequutus es, eius, in quam, modeſtiſsimos mores, eius ſtudia, eius ad optimas res propenſam voluntatem, eius magnis rebus teſtatam virtutem primum vidiſti: Nouiſti, & noſcis (B. P.) cuius acies ingenij etiã quę occultiſſima ſunt, aſſequitur, hunc patriam ſuam præclaris inſtitutis, opibusq; florentem admirabili quadam ſcientiæ ſuæ gloria nobilitaſſe, hominum generi non ſolum fructus, ſed pręſtantes, ſed vberes

Acerrimus eſt ingeniorum æſtimator.

Patriã ſuã preclaris inſtitutis, opibusq; florẽtem admirabili quadã ſcientiæ ſuæ gloria nobilitauit.

res,ſed ſalutares, ſed omni expectatione digniſsimos fructus attuliſſe, vexatam aſſiduè prauarum opinionum impetu Eccleſiam catholicam, authoritatis, & doctrinæ ſuæ pondere conſtituiſſe: nouiſti hunc nunquam aduerſus homines rectè ſentientes ſcelerata cõſilia iniuiſſe, ſemper inuadentibus Eccleſiæ mõſtris inimicum fuiſſe, nunquam pro eiuſdem dignitate, ideſt pro communi ſalute labores recuſaſſe, ſemper pro Chriſti gloria defendẽda omnes cruciatus corporis paruiduxiſſe: nouiſti hunc mirabilibus illis ſermonibus ſuis catholicas ſententias diuulgaſſe, omnes Apoſtolicæ Sedis hoſtium vires fregiſſe, atque obtriuiſſe, Dei cultus propagationem primam ſibi omnium rerum putaſſe: nouiſti hunc hęreticæ factionis inſidias patefeciſſe, eccleſiaſticam diſciplinam reuocaſſe, chriſtiani nominis inimicos proſtrauiſſe, religioſarum rerum nũdinationem penitus ſuſtuliſſe, Pontificij iuris maieſtatem defendiſſe: nouiſti hũc peſtilẽtiſſimarum opinionum auctores condẽnaſſe, pię ditionis terminos protuliſſe, ſectas religioni noſtrę inimicas extirpaſſe: nouiſti hunc omnes virtutes Philoſopho dignas, & homine Chriſtiano ſemper coluiſſe, nihil omnino feciſſe, aut cogitaſſe, in quo ſtatim decus non eluxerit, diuinam conſuetudinem, quatenus homini liceat, imitatum fuiſſe: nouiſti hunc in adminiſtrandis negotijs vigilantem, non timidum, in laboribus ſuſcipiendis patientem, non deſidioſum, in periculis adeundis fortem, nõ negligentem, in obeundis muneribus grauem, nõ tardum, in exequendis officijs diligentem, non feſtinantem, in ſententijs dicendis prudentem, nõ temerariũ, in colẽdo Deo pium, nõ fraudulẽtum, in regendis hominibus ſeuerum, non ſuperbum, in imperandis rectis impigrum, non pigrũ, in prohibẽdis contrarijs ardentem, nõ ignauum, in firmandis concordiæ bonis promptum, nõ ſegnem, in expellẽdis

Omnes virtutes filoſofo dignas, & homine Chriſtiano ſemper coluit.

diſcordiæ malis ſtrenuum, nõ torpidum, in ſedãdis cõtentionibus ſedulum, nõ inertem ſe ſemper præbuiſſe: nouiſti denique hũc in eo, quod à teneris vnguiculis inſtituerat, vitæ innocẽter, & cũ virtute degẽdæ ſtudio cõſtãtem, ſibiq; ſimillimum ſemper fuiſſe. Ac is, mea quidem ſententia (vt, quam laudabiliter, quam ſapienter, quam prudenter in regenda Rep. Chriſtiana ſe gerat, facile intelligatur) tum in eo celebrãdus eſt, quod vbi primum ſingulari diuinæ prouidẽtiæ afflatu Cardinalatus inſignia ſuſcepit nil aliud ſibi ſtudio habuit, nil aliud curauit, nil aliud optauit, niſi veteres ritus cõfirmare, niſi flagitiorum aream tollere, niſi ſẽtinam ſcelerum eneruare, niſi pertinaces legũ habenis reprimere, niſi eorũ cõſilijs occurrere, audaciam debilitare, ſceleribus reſiſtere, ardenter ad virtutes hortari, acriter à vitijs reuocare, aſperè improbos vituperare, ornatè bonos laudare, tum in eo celebrandus, quod hãc dignitatem tanta cum dignitate ſuſtinere videtur, vt iam ipſum inferiores vt gratum, æquales vt iucũdum, amici vt exorabilem, inimici vt placabilem, ſenes vt grauem, iuuenes vt mitem, rebellantes ut audacem, perfidi vt formidabilem, ſubiecti vt beneuolum, inſolẽtes vt aſperum, ſummiſsi vt benignum, boni vt humanũ ſemper experiãtur: nec ſanè eſt quare nobis in mẽtem veniat mirari, ſi, in ipſo cũ reperiamus, quod imitemur, nihil reperire poſſimus quod calumniemur: ſic nanque exiſtimare debemus vixiſſe eum, ut paullo ante expoſui, non delicatè, nõ molliter, nõ effeminatè, ſed parcè, ſed continẽter, ſed ſeuerè, ſed ſobriè, ab impiorum hoĩum ſui diſsimillimorum ſocietate ſeiunctum, &, ut hoĩem, ſatis extra culpam. Et, ne fortaſſe hoc, quod à me uerìſsime dicitur, quodq; eſt ita clarum, & illuſtre, ut, ſi opus ſit, ad id probãdum infinitam honeſtiſſimorum hominum copiam, nullo negotio, adhibere poſſim,

In ipſo reperimus, q̃ imitemur, nihil reperire poſſum' quod calũniemur.

ſim, nunc tibi (B. P.) mirum, aut incredibile uideatur, ue
lim illud tibi perſuadeas, omnes, qui ipſum norũt , hęc om
nia nõ putare, ſed cognoſcere, non opinari, ſed ſcire, non
auditione aliqua accepiſſe, ſed uidiſſe, & videre, vidiſſe, &
videre, mediusfidius: Quamuis enim oratoriæ licẽtię de-
tur, vt res in ornando plus interdum, quàm permittit ueri
tas, efferatur, vnum tamen hoc ſic habeto, me & ea dice-
re, quæ ſentio, &, cum ipſe minimè ſoleam cuiuſquam au
ribus inſeruire, nunquam ijs, quorum à me uita laudatur ,
blandiri gratia ſolere, neque eorum beneuolentiam ficta
laudatione colligere . Itaque verè mihi hoc videor eſſe
dicturus , ex omnibus ijs, quibus Reip. gubernacula dela-
ta ſint, aut neminem, aut certe paucos extitiſſe hoc vno ijs
virtutibus, quas ab ea, quam ſuſtinet, perſona exigi tradũt,
ornatiores: Quid tam inuſitatum, quam non præcibus, nõ
prenſatione, nõ opibus, nõ eblãditis principum commen
dationibus, non inuidioſa diuitiarum magnitudine, nõ fu
moſis maiorum imaginibus, ſed uirtutis præſidijs in altio-
rem locum aſcendere? aſcendit. quàm mẽtem cum digni *Virtutis p̃-*
tate nõ mutare? nõ mutat. quam inter omnes eminere be *ſidijs ĩ hũc*
neuolentia velle? vult. Quid tam pręclarum , quam eos *locũ aſcẽdit*
omnes, qui vera religione nõdum imbuti ſunt, vt per eam
viam, qua ad illud bonum, quo cætera omnia bona cõtinẽ
tur, facilè peruenitur, ipſi procedant, & uehementer, & ſæ
pè cohortari? cohortatur . quàm in uitijs, quæ ſunt vitupe-
rãda, ſummam turpitudinem , in virtutibus, quæ ſunt lau
dãdæ, ſummam gloriam ineſſe oſtẽdere? oſtẽdit. quam om
nes nõ fortuna, ſed moribus diſtinguere? diſtinguit. Quid
tam religioſum, quam uiolatam diuinarum rerum dignita
tem in ueterem ſpendorem reſtituere ? reſtituit . quàm
omnem penitus hereſim, perinde , aç peſtem quãdam de-
teſtabilem inſectari ? inſectatur . quàm quæ deſperata vi-

nete videretur: fuerunt, qui in alicuius calamitates crudeles, qui inexorabiles, qui inhumani, qui omni diritate, atque omni immanitate teterrimi exiſtimabantur: at hoc uitium videtur in quemuis potius, quàm in Gregorium cõuenire: & ego vno vtor argumẽto, quamobrem benigniorem hũc fuiſſe, quàm quemquam ſuperiorum firmiſsimè credam, quod omnes lenitatis partes amplectitur; atque ita amplectitur, vt nemo vnquam auſus fuerit in periculis quemadmodum miſericordiam ſuam commouere poſſet, precibus tentare: quid ita? quia re uera nunquam eſt paſſus, quod non ſolum laude, ſed etiam admiratione dignum iudico, auxilium ſuum fruſtra ab aliquo implorari: ſuccurrere ſolet ſupplicibus, & calamitoſis, nullius oratione euocata, &, vt quiſq; crudeliſſimè oppugnatur, eum leniſſimè ſubleuat, ſeq; mitiſſimum præbet erga ſui ſimiles: ſui ſimiles autem appello eos, qui & habentur, & ſunt integerrimi, vbi verò vitium noſcit, ad puniendos ſceleſtes, hoc eſt, eos, quos turpitudo ipſa nõ deterret ab iniurioſa, facinoroſaq; vita, oculos aperiens, cenſorem acerrimum: fuerunt, qui non verebantur apud ſe homines nequiſſimo viuendi generi deditos accerſire, quorum vterẽtur cõſilio: at quid eſt cur hic totam Chriſtianã religionem eruditiſſimorũ, peritiſſimorumq; virorum multitudine redundare deſideret, niſi vt eos efficere poſſit comites ſententiæ ſuæ? miniſtros conſiliorum? conſortes voluntatis? participes commodorum? adiutores negotiorum? teſtes actionum? ſocios laborum? & eos maximè, quos intelligit eſſe mente conſtitutos ad amplexendam pacem? ſcientia ad res gerẽdas? animo, & vſu ad quod vis negotium? fuerũt, qui aliena bona deuorantes, ſed ad immodicam habendi libinem, quæ præclarè iacta fundamenta uirtutis euertit, ſæpè conuertebant: at hic, cum ſibi exploratiſsimum fuerit nullum ui libidine

tium

Nullũ uitiũ tetrius, aut fædius eſt, quã iniurioſa appetitio alienorũ, p̃ ſertim ĩ prĩcipibus, & Rep. gubernantibus.

tium tetrius, aut fædius eſſe, quam iniurioſa appetitio alienorum, præſertim in principibus, & Remp. gubernãtibus, propterea quód omne officitium quamlibet ſanctum, ac ſolemne comminuere, ac uiolare ſoleat, omnis ſemper, quæ criminibus infinitis implicata eſt, auaritiæ ſuſpitionẽ modis omnibus euitauit: fuerunt, quos vidimus in honoribus decernendis nimios, & tanquã prodigos: at hic quos ornare ſtudet, niſi quos videt maxima eruditione præditos? inſigni laude inter cæteros eminentes? animo excelſo, & alto, & virtutibus exaggerato? vberrimis ingenijs affluentes? quibus fauere cogitat, niſi litteratis? quos pręmijs afficere, niſi benemeritos de Rep. Chriſtiana? quibus defert honores, niſi debitos? niſi neceſſarios? niſi iuſtos? quin etiam, quęcunque meritis præmia debentur, ea non ſolum perſoluit, ſed ita benignè, ita libenter, ita liberaliter perſoluit, ut nullus poſſit eſſe honor tantus, qui in eos, quos honeſtandos ſuſcipit, collatus, non videatur ſibi, qui confert, magnam eſſe iuditij laudem allaturus: fuerũt, qui propter inſitum quendam animi furorem, diſcordijs ſubditorum, ac ſeditione paſcebãtur: at, num quiſpiã eſt noſtrum, qui nõ intelligat hũc tum antea, tum hodię vel maxime nihil aliud quærere, niſi, ut omnes aliquando intelligant, ſe nihil malle, quàm cõcordiam? quàm beneuolentiam? quàm amorem? quàm gratiam? qnàm quietẽ? quàm pacem? ea deſperata, nihil tam fugere, quã diſcordiam? quàm cõtentionem? quàm tumultus? quàm odium? quàm dolos? certè nemo: fuerunt, qui quod iuſtum, quod pium, quod rectum, quod laudabile erat vel, tanquam hebetes, non intellexerunt, uel tanquam non optimè à natura conſtituti, diſſimularũt, ac ſi quid erat in lege uitioſum nõ corrigebant, ſi quid ambiguum in eam partem nõ interpretebantur, quæ ad Reip. ſalutem propenſior eſſe videretur,

deretur, eidemq; nõ ſolum facto, ſed multo etiam magis exemplo nocebãt. at hic gubernator noſter, cum ita rectè cum honeſtate, ita honeſtè cum moderatione, ita moderatè curriculum à natura datum confecerit, vt virtutem à vitio facilè diſtinxerit, & ab altero, tam quam à peſtiſero angue, refugerit; alteram amplexus fuerit, & amabilem, prę cęteris rebus exiſtimauerit, cum ſemper vnam putauerit certiſſimam doctrinam eſſe pietatem in Deum, aut beuolẽtiam, & ſtudiũ erga eos, qui ſibi ab ipſo commendabantur, cum ea, in quibus erat turpis deliberatio, nunquã deliberanda cenſuerit, cum ſemper id egerit, vt qualis haberi, & prædicari voluit, talis fuerit, Iuſtitiam, ex qua vna viri boni appellãtur, toto pectore eſt ſequutus. idq; nulli videatur mirum: Neque enim putare debemus ulla in re ab religione officij eum uirum declinare, quem nulla vnquam vis, nullæ minæ, nulla inuidia labefactauit, qui nec pretio, nec prece, nec, gratia, nec ſimultate, nec præmijs, nec periculis impulſus vllis (quibus tamen mouentur fortiſsimi viri) à recta via deduci poteſt. Atque adeo, vt hęc res melius diiudicari poſſit, non ab re facere mihi videor, ſi prius, quę ad eos, qui iudicandi muneri prę fecturi ſunt, pertineãt, hoc loco ſummatim expoſuero. Quapropter multa ab ijs (quod ſatis ſcio notum eſſe tibi) qui hoc munus cum laude ſuſtinere meditantur, ſed tria potiſsimum expectari, ac requiri puto: Vnum, vt ipſi de ijs, qui in ſua poteſtate, atq; arbitrio relinquũtur, & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, ſine inuidia iudicẽt: alterum eſt illud, quod ego iudici maximè cauendum, & prouidendum arbitror, ne aliquem, quod impium eſſet, condemnare audeat, indicta cauſſa: poſtremum illud eſt, oportere ipſum ſummam in eo adhibere diligẽtiam, vt animus ſuus in ſola virtute defixus, nullaq; ſpe promiſsionis captus, ab

Nec pretio nec prece, nec gratia, nec ſimultate, nec præmijs, nec periculis impulſus vllis à recta via deduci poteſt.

Tria ad eos qui iuditijs prę ſunt omnino pertinent.

omni ſit perturbatione purus, ac liber: operam autem de diſſe Gregorium, vt hæc, de quibus modo dixi, omnia ſi bi in animo haberet, vel ex eo perfacile conijcere poſſumus, quod ipſe, omni ſẽper cupiditate ſpoliatus, nulla ira, nulla inuidentia, nulla ratione proprij commodi, nullo denique odio occupatus, ſed recta mẽte tãtũ in diſceptãdis cõtrouerſijs ſemper utens, ſummam poteſtatem cum optima volũtate coniũgens, quo facilius à ſe omnem prorſus ſuſpicionem inclinati, ac perpendẽtis in alterutram partem animi tollere poſſet, diligẽtiſſimè prius vtriuſque iura cognoſcere volebat, quàm ſentẽtiam ferret: Scit nanque quemadmodum ipſe de alijs iudicabat, ita de ſe nõ alios tantum homines, ſed Deum ipſum iudicaturum: deinde, ne quis eũ, ut nimis ſeuerum, aut rigidum culpare audeat, eos, qui aliquid ſupplitijs dignum cõmittũt, nõ aut tormẽtis inuſitatis, aut aliqua verborũ inaudita crudelitate caſtigandos exiſtimat, ſed in ijs puniendis pænas legibus definitas ſine vlla acerbitate iracundię, quam reſidere in ipſum nemo ſuſpicari poteſt, ad aliquem vſque modum per mitigat: in ea ſemper fuit ſententia, qua omnes eos quoque eſſe oportet, qui de rebus dubijs conſultãt, minus vt mali in clemẽtia, ac lenitate crederet, quàm in ſæuitia, & auſteritate, nihil tam eſſe deforme, quàm ad ſummum imperium etiam illam, cum qua nihil rectè fieri, nihil con ſideratè poteſt, aſperitatem naturæ adiungere; Quid? an nõ illud quãtumuis eſt, quod quotieſcunque audiendis, & iudicãdis cauſis vacat (vacat autem ſępiſsimè) vel id imprimis ſibi ſpectãdum eſſe cenſet, vt auferat omnes illas occaſiones, quæ poſſunt efficere turbidas cõmotiones, quibus ij, qui iudicijs præſunt, à vero abduci queunt? an non illud, quod affectiones illas rationi minimè obtemperãtes facilè fugit? An non illud, quod ei appetitui, qui diſcede

Cũ aſperitate naturę nihil rectè fieri, nihil cõ ſideratè poteſt.

re ſolet à naturæ conſtantia, ſemper repugnauit? An non illud, quod nunquam furore longius digreditur quàm ſapientis hominis cogitata ratio poſtulat? An non illud; quod, vt mediocritatem illam teneat, quę eſt inter nimiũ & parum, nũquam iratus acceſſit ad pænam? fuerũt, qui o c cultis cõſilijs, & pernicioſis Remp. leſerũt, & vexarunt, alioſque lędere, & vexare ſunt paſſi, at quãtum huius Paſtoris ſtudium exiſtat dignitatis apoſtolicæ uel tuendę, vel etiam augendę, non dubito, quin & omnibus ſit notum, & tibi ſermone declaratum ſit. Nam dici non poteſt, ac ne cogitari quidem quanti eam faciat, quo eam ſtudio, quo amore, qua beneuolẽtia, qua charitate ſemper amplectatur: idq; cum multis ex rebus intelligi poteſt, tum ex hac re uel maxime, quod eo ſemper fuit animo, ut antiquius e ius cõmodo nihil habuerit: Et quidem illud, quod de huius erga Remp. chriſtianam officijs dico, nõ ſecus, ac ſentio dico. Dum enim mecum reputo quãtas ille anguſtias, quãtas moleſtias, quãtas ſollicitudines pro eius in columitate ſuſcipiat, dum cõſidero quam ſæpè perfecerit, vt nolẽt obeſſe qui poterãt, quàm ſæpè pernitiem, & peſtem, quam improbi ei machinãtur, in eorum capita cõ uerterit, quam ſæpè eos oculis fugerit, auribus reſpuerit, animo cõtempſerit; auctoritate repulerit, fugarit, auerterit, quàm ſæpè audatiam illorum, qui eam deſpicere, eam affligere, eam delere ſtudebãt, ipſe cõtuderit, ac fregerit, dũ mente voluo quoties eorũ furibũdos impetus retardauerit, libidines reſecauerit, temeritatem oppreſſerit, peruerſitatem frenauerit, prauitatem arguerit, dum diligenter conſidero quoties inditia eius exitij indagauerit, pate fecerit, protulerit, extinxerit, dum animo expẽdo quam magnam grauiſſimorũ negotiorũ molem ſumma ſua laude, & omniũ penè gentium admiratione ſuſtinuerit, dum

in memoriã redigo quot diſcrimina adierit,quot incõmoda ſuſtulerit,dũ recordor iterum, & ſæpius quoties fecerit quod erat ad eius ſalutem vtilius,ad eius vtilitatem accõmodatius,ad eius commodũ honorificentius, tum profecto quã ſingularia, quàm illuſtria, quàm varia, quã magna quã clara,quamq; certa in eã amoris ſui ſigna & olim fuerint, & hodie ſint facillimè iudicare poſſum: Immo tota Chriſtiana religio (P. Sanctiſſime) cui, ex huius ſplendore multũ acceſſiſſe præſidij certò ſcimus, ſi loqui poſſet hac apud te vteretur oratione. Quantum gratulata fuerim, (P. Santiſsime) de iſto, quo GREGORIVM virum in omni genere vitæ admirabilẽ, atq; eximiũ extulit diuina tua ſapiẽtia honoris altiſsimo gradu,facilius eſt tibi cõſiderare, quam mihi dicere: Nam coniectura proſpicio hunc, cui ſunt, quę multis ſolent eſſe laborioſa, virtus, & vigilantia, ex ſua veteri conſuetudine facillima, fore in Chriſti militia anteſignanum: cuius rei argumentum,vel ex hoc capere poſſum,quod, ſi pauci meę ſaluti fouebãt, hic me ſuæ fidei optimę,ac ſapiẽtiſſimæ à Deo cõmiſſam, ac concreditã sẽper dilexit. Si multorũ diſſidẽtiũ diſcordia laborabam,hic omnes meas partes ægras, ac labantes ſanauit,& cõfirmauit,ſi ab horribilibus iactabar procellis, hic me in maximis turbinibus, cæciſq; nubibus fluctuãtẽ ſaluam in portu collocauit,ſi abſtruſæ contra meam dignitatẽ parabantur inſidiæ,hic ſe meum patronũ, meum conſeruatorẽ,meũ propugnatorem,meũ tutorẽ oſtendit: qui poſsũ igitur nõ gaudere?nõ lætari? nõ triũphare?nõne ille eſt,qui re ipſa patefecit nulli mortaliũ fortunas ſuas tantæ curę eſſe, quantę ſibi fuit honor meus? nõ ne ille eſt, qui quiduis potius perpateretur, quam non optare bona, non parare optima, non cogitare difficillima, non meditari ea omnia,quæ eſſe in eo moderatore debent, cui pietas,

Erit ĩ Chriſti militia ãteſignan'.

tas,& Religio prima ſunt? non ne ille eſt,qui in me,quam decorauit,& auxit,non patitur improborum ſcelerum peſtem immorari? qui multa mihi,antequam poſtularem,maiora,quam vellem,plura,quam ſperarem, actenus attulit? qui conſilio, quantum potuit, plus ſanè quàm potuit,vigilauit pro me in hac ſua celebranda,ornandaque ætate? nõne ille eſt,qui omnem magnitudinem mali à meis ceruicibus, omniaq; pericula penitus in uenis,atque in viſceribus meis vitæ ſuę periculo depellere eſt adnixus? qui ea ſemper dixit, quæ maximè meis rationibus putauit conducere? qui,quid deceat, non quantum liceat,ſpectans,ea fecit,quæ me velle, quæque ad me pertinere arbitrabatur? Proinde fit,ut ego ipſum nunquã adſpiciam,nunquã mihi ipſum ante oculos ponam, núquam de ipſo cogitem,quin me ipſam recreẽ, ac ſoler, quin ſui recordationem,quæ mihi moleſtias omnes diluit, ſumma cum beneuolentia ſanctiſſimè,ac religioſiſſimè colam, quin ſua ſingulari vigilantia potius, quàm euentis rerum me conſeruatam meminerim, quin omnia ſua in me diuina merita, omnia egregia officia, omneſque, quas ad me retulit, curas, ſemper recorder, quin denique omnium, quas ego ſuperioribus temporibus accepi, acerbitatum memoriam omnino deponam: Si vniuerſa, vt dixi, Religio poteſtatem haberet loquendi, hanc vocem emitteret.

Quidius potius ꝑpateretur, quã nõ meditari,ea oĩa, q̃ eſſe ĩ eo moderatore debẽt,cui pietas,ac Religio prima ſunt.

Vidiſti igitur in hoc quoque multum, qui cætera omnia proſpicis egregiè (Sanctime Pater) cum, approbante diuino ſpiritu, gubernatorem hunc Chriſtianæ Reip. atq; adeo humano generi vniuerſo libẽter dediſti: at quẽ Gubernatorẽ Bone Deus? ſi prudentiã quęrimus qui núqã aliquid ita cõmiſit,ut ſibi dicẽdú eſſet,nõ putaram: ſi fortitudinem,qui pro æquitate nõ ſolum pugnauit,ſed verè, ſed egregiè, Sed uehementer pugnauit: ſi conſtantiam,

Prudentia.

Fortitudo.

Conſtãtia.

qui

qui multorum ſuperbiam, multorum fraudem, multorum odium, multorũ moleſtiã quã libentiſsimè pertulit: ſi continentiã, qui ita effrenatas libidines cohibuit, vt nemo vnquã ſic ardenti animo corporis voluptates cõſectatus fuerit, quãto ſtudio ille eis perpetuò reſiſtit, ſi benignitatem, qui ad omnem morum, ac ſermonum, & voluntatũ varietatem ſe finxit, atq; accõmodauit, ſi ſanctitatẽ, qui omnia, quę à ſapientiſſimis viris ad beneuiuendum tradita ſunt, ſummo ſtudio, curaq; didicit: ſi liberalitatem, qui in dãdo beneficio beneficiũ videtur accipere, quiq; prodeſſe omnibus, nocere nemini voluit: ſi temperantiam, qui in rebus expetendis, aut fugiendis, rationem ſequutus, ſedauit appetitiones, ſi modeſtiam, qui ita ſemper loqutus eſt, vt ex eius ore nullum vnquam verbũ exciderit, vnde quiſquam poſſet offendi: ſi bonitatem, qui non plus ſibi licere vult, quàm leges præſcribant; ſi religionem, qui meritam Deo immortali gratiam iuſtis honoribus, & memori mente perſoluit: ſi charitatẽ, qui pro cõmuni ſalute non dubitaret, vt ei prodeſſet, mortẽ oppetere: ſi humanitatẽ, qui uel non fecit quod non optimè potuit, vel fecit quod non peſſimè potuit: Si moderationem, qui grauiſſimas à multis acceptas iniurias voluntaria quadam obliuione contriuit: ſi animi gratitudinem, qui, ſi quid in ſe ipſum collatum fuit gratiæ, tanti æſtimauit, quanti videbatur is, qui cõtulerat, æſtimandus, ſi cæteras virtutes, quas tantas eſſe fateor, vt eas vix cuiuſquam mens, aut cogitatio capere poſſit, qui paucos habuit pares: At illud non ſuſcipiã, ut omnia huius animi bona, quæ celebrantur penè omnium gentium literis, nunc ego tibi exponam, cum, & dilatando orationẽ meam, nimis longus eſſe nolim, & multorum dierũ, multorumq; voluminum hoc negotium eſſe animo cernam. Itaq;, vt extremũ habeat aliquid meus ſermo, tibi (B.P.)

Continẽtia

Benignitas

Liberalitas

Tẽperantia

Bonitas.

Religio.

Charitas.

Humanitas

Animi gratitudo.

gnoſcimus

quem ſalutis noſtræ ſtudioſiſſimum, cupidiſſimumque cognoſcimus, quem uiribus, quem ſermonibus, quē ſpiritu, quem prædicatione, quem lingua, quem voce, quem veriſſimis, ac iuſtiſsimis laudibus celebrare vnquam non deſinemus, quanquam gratiam referre non poſſumus, quantam debemus, habemus tamen quantam maximam animi noſtri capere poſſunt, non eo ſolum nomine, quod ipſe tu Chriſtianæ religioni labenti, ac penè inclinatę ferre pręſidium excogitans, eam huic & tali, & ita de nobis merito viro à longa, & multiplici experientia prouido, & cauto effecto, tuo primum peracri, & grauiſſimo iuditio motus, deinde, nulla prorſus alia re, niſi ſuis meritis impulſus, magnis ſuis laboribus ſuſtentandam tradideris, ſed multo magis, quod, hunc ad Reip. Chriſtianę gubernacula acceſſendo, totum etiam genus humanum propè malis fractū, ac debilitatum ad aliquam ſpem priſtinæ dignitatis erexeris, multo magis, quod eius amplitudinem laude, atq; honore amplificādam cenſueris, multo magis, quod illud ſinu, amplexuq; exceperis, multo magis, quod omnē in eius commodis, atq; ornamentis curam, & cogitationem defixeris, multo magis, quod omnem expectationem diuturni deſiderij noſtri tandem aliquando expleueris. Ex quo nobis oritur opinio te nobis præſidium improuiſum, ſalutem inopinatam, ſubſidium repentinum, auxilium inexpectatum obtuliſſe? Quia nobis perſuademus, & ſpe veriſſima deducimur ad eam cogitationem, vt totum hoc tempus, quo ipſe cum cæteris Illuſtriſsimis S. Romanæ Eccleſię Cardinalibus Petri Nauis clauum tenebit, conſtantiſſimis, atque optimis actionibus ſuis excitatis, placatis improborum odijs, concuſſa multorum licentia, compreſſis libidinibus, confractis cupiditatibus, legibus impoſitis, iuditijs conſtitutis, moribus confirmatis, vitijs denique omnibus

nibus expulſis, ſalutare toti terrarum orbi fore arbitremur. Hic enim ſuum perpetuum publicæ vtilitatis ſtudium diuinę benignitatis aura comitante, ipſumq; auctoritate tua adiuuante, nullum tempus prętermittet neque diurnum, neque nocturnum, quin de ſanctorum veneratione, de ſacrarum rituum veteri diſciplina, de animarum ſalute quid cogitandum ſit, cogitet; quid agendum, atque faciendum, id oppetat, atque etiam depoſcat: hic, ſi opus eſſe videbitur, quę ſanari poterunt quacunque ratione ſanabit, quæ reſecanda erunt, non patietur ad perniciem noſtram manare: hic, ne inueterata mala fiant robuſtiora omni ratione curabit, quæ percuſſa, atque proſtrata iacere ſentiet, excitabit, hic tota mente, omnique animi impetu incumbet in noſtram, quæ ſibi ſemper fuit, ſemper eſt, ſemper erit chariſſima, integram, & incorruptam Religionem: in qua non deſperamus etiam fore, vt huius ductu, atque auſpicijs omnia mala omnibus bonis cædant, hoc eſt, ut omnium rerum deſperatio à bona ſpe, ut perdita ratio à recta; vt amentia à mente ſana, vt mendacium à ueritate, vt ocium ab induſtria, ut feritas à ſocietate, vt diſsidium à cõuictu, vt ſomnus à vigilantia, ut petulantia à pudore, vt ſtuprum à pudicitia, vt fraudatio à fide, vt ſcelus à pietate: vt furor à conſtantia, vt turpitudo ab honeſtate, vt libido à continentia, denique vt iniquitas, vt luxuria, vt ignauia, vt temeritas, vt vitia omnia, ab ęquitate, à temperatia, à fortitudine, à prudentia, à virtutibus omnibus omnino ſuperentur.

Nullũ tempus p̃termittet, neq; diurnũ, neq; nocturnũ, quin de animarũ ſalute q̃d cogitãdũ ſit cogitet.

Huius ductũ atq; auſpicijs omnia vitia à virtutibus ſuperabuntur.

DIXI.

Cum licentia Sanctiſs. Inquiſitionis.

Z
1033,31

99 956709

1033.31